

Aquam ratione Locorum in supraCœlestem & Elementarem dispescimus:

2. à Testimo-  
nio divino.  
Psal. 103. 3.  
148, 1.  
Dan. 3, 60.

§. 1. Aquas enim supraCœlestes esse Fons Israelis, S. Scriptura comprobat & affirmat, ut apparet ex Gen. 1, 6, 7. & alibi, cum dicit: *Fecit Deus expansum & distinxit aquas, quæ erant sub firmamento ab his, quæ erant super firmamentum: Et factum est ita, vocavit q̄, Deus firmamentum, cœlum.* Præterea reperitur in fonte ipso etiam vocabulum planè Emphaticum, quod est לַרְקִיעַ, hoc est, *supra firmamentum*, in quâ voce similitudo quædam, à tentorio funibus sustentato, habetur: & hoc רַקִיעַ five *expansum* de cœlo astrifero, non autem de aërio intelligitur ut notat Friedl. in Obs. Bibl. Ex quibus S. S. verbis, aquas supra-cœlestes reverè esse, firmisimè colligitur. Quidam verò conantur hæc verba aliter interpretari, intelliguntque per *aquas, nubes, per cœlum, totum convexum aerium.* Sed hoc est contra divinæ Veritatis regulam, S. Scripturam. Nam *aquas* dividere in duas partes, sicut I. all. dicitur, non est *nubem facere*, sed totum integrale in duas partes ejusdem rationis & speciei dispescere. Locus autem, ubi hæc habentur *Aqua*, est istud װס̄, nempe supra firmamentum sive cœlum cœlorum. Potest autem locus iste ei esse *partim naturalis*, quia DEUS, omnis ordinis Autor, aquam ibi collocavit: et propterea quicquid alicui rei, Creator in primâ creatione constituit, illud est ipsi naturale. Sed locum *Aquæ cœlesti* constituit Creator, ut esset supra cœlum E. locus etiam ipsi erit naturalis. *Partim*